

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

I.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)



## I.

**E**st ita natura comparatum, vir clarissime; ut omnia, quæ à viris minime improbis suscipiuntur atque peraguntur, eadem à nefariis hominibus apud alios sic traducantur, ut excusationi locus nullus relinquatur. Nec solum majorum nostrorum ætate hoc usu venit, qui suos habuerunt scyphantas: Verum etiam hoc nostro seculo depravata illam consuetudinem obtinuisse, vel ex literis saltem, à dignitate tua ad nos missis, cognoscere licet. Cum enim essent omnium nostrorum nomini inscriptæ, & more inusitato redditæ, in communi nostro, qui ministrorum est Ecclesiæ, conventu, & resignatæ sunt & recitatæ. Ex quibus nonnullos amicos & fratres, falsa criminatione, profecta ex animo hominum iniquorum & malevolorum, apud vestros gravatos esse intelleximus. Continebant tamen illæ imprimis accusationem gravem Matth. Flac. Illyr. quodcum pestis sit communis nostræ patriæ, à quibusdam nostris sustentetur. In quorum postquam se familiaritatem infinnarunt, illorum animos non solum verbis obtrectando à vobis alienarunt, sed divulgandis etiam scriptis contumeliosis, cum in alios tum verò nominatim in tuæ humanitatis personam, sit invecus. Hoc ipsum autem testari libellos, qui videntibus & patientibus nobis ex nostrâ civitate in publicum prodeant, infamantes viros pios atq; bonos. Non igitur absq; dolore mirari Vos, quod contra vestram, quam de nobis hætenus opinionem habuistis, amicitia & in doctrina consensus, adversarium & inimicum vestrum adjungamus nobis, benignitate adjuvemus, armis contra vos instruamus. Ei nunc Epistolæ, literis his, dum tardius quidem, quam opinabamur, (est autem hoc multitudini negotiorum, quibus obruti fuimus, adscribendum) respondemus ingenuè atq; candidè: rogamus ut ea benevolentia, quâ à nobis literas tuas accipi postulasti, has quoq; nostras perlegas. Esse ex nobis nonnullos, qui annis ab hinc plus minus triginta Wittembergæ, vivente adhuc viro, nomine & memoriâ digno, D. D. Martino Luthero, bonis literis operam dedimus, fatemur: & quidem lubentissime. Afferimus quoque id, nos, cum ejus viri, tum aliorum, qui tunc temporis florentem & optimè constitutam Academiam una cum Ecclesia gubernarunt, doctrina summa, & institutione fideli, ad Christi veram cognitionem esse deductos. Agimus itaq; imprimis Deo Servatori nostro JESU Christo immortales gratias, pro consequutâ ibi cognitione verita-

O

tis

tis, in qua ut nos ad finem usque conservet, ardentissimis præcibus contendimus. Quam etiam ob causam memoria beneficii sempiterna, cum, & erga fidelissimos, qui tunc vixerunt, præceptores, & celeberrimam Ecclesiam atq; scholam obstrictos nos esse agnoscamus, in hoc ipsum summo semper studio iucubimus, ut dum vitâ & communi spiritu fruerentur, & jam vitâ sanctis gratos nos exhiberemus. Cujus vel hoc esse signum potest, quod quibus in rebus adesse eis non potuimus, ut non potuimus in omnibus, in iis ad DEUM præces nostras fuderimus, cum pro valetudine tuenda, tum pro felici in pio conatu successu. Posteaquam vero vitam cum morte commutarunt, eam esse veram, quam à nobis gratiam requirunt, iudicamus: nec majorem à nobis declarari posse credimus, si depositum Doctrinæ & veræ pietatis acceptum ab iis retineamus, & adversus corruptelas defendamus. Id quod annuente Spiritu Domini summo studio conati sumus, effecimusque, ut non nomine sed re ipsa & vere gloriari possimus: In Ecclesia Argentinensium, unanimi omnium consensu, doctrinam singulorum Christianæ Religionis capitum ita tradi & explicari, ut cum confessione ea, quæ Imperatori Augustæ est exhibitæ, quæque scriptis Lutheri aliorumq; Theologorum, quibus illo tempore cura & administratio Ecclesiæ commissa erat, est illustrata, planè congruat. Hanc doctrinam, si pari studio defendunt, nec diversum ab ea utriusque cum Wittembergensis tum Lipsiensis Academiæ Doctores ac Professores hac nostra ætate, sentiunt, docent, & publicis scriptis proficentur, est quod gratias agamus DEO, pro ineffabili misericordia, quæ Ecclesiam suam tuetur. Causa etiam erit, ut eam, quam jam ante cum Ecclesiæ tum Academiæ Wittembergensi & Lipsiensi, benevolentiam nos debere diximus, eandem etiam erga vos vestrosque collegas, viros clariss. testemur. Quos summo amore complectimur, colimus, magnificimus: nihil ab iis in sana doctrina, quam his ultimis temporibus DEUS per electum suum Organum D. D. Martinum Lutherum b. m. nobis patefecit, dissentientes. Pollicemur igitur, & ut fides nobis adhibeatur, Deum in testimonium vocamus, nos ut à nobis factum est hætenus, nequaquam permissuros, quenquam in ministerio apud nos publico versari, qui aliud doctrinæ genus diversum ab eo, quod à Domino Luthero & aliis nostro tempore Wittembergæ didicimus, tradere conaretur. Verum enim vero cum aliquot jam annis varii & graves rumores sparsi sint, à nonnullis etiam typis commissi, esse quosdam utriusque Academiæ Doctores, qui præcipua doctrinæ capita immutarint, de quibus secus quam Lutherus sentiant & profiteantur: legimus tamen quoq; illorum doctorum postea in lucem editas partim Apologias, partim provocationes, quibus Senatus utriusque Academiæ attestantur: in quibus asserunt, se in doctrina firmos, in assensu constantes extitisse. Atq; idcirco de utriusque partis vel criminatione vel purgatione iudicare hætenus nolu-

nolumus; precibus interim à DEO Opt. contendentes, ut hæc diffidia opera & consilio Principum, qui Religionis veræ se esse gloriantur, in pia synodo tandem cognoscantur legitime, & dijudicentur. Quam rationem, tanquam Ecclesiæ salutarem, & ad stabiliendam concordiam maximè accommodatam summopere probamus. Cæterum testimonium nobis perhibere possunt omnes, & si ingenui sunt, facient, in nostra cum Ecclesia tum Gymnasio, tam in concionibus quàm lectionibus, in disputando & declamando, controversiarum harum ne mentionem quidem fieri, multo minus cujusquam personæ famam & exiftimationem calumniis proscindi. Ex aduerso autem tam inter privatos parietes quam publice Academiam Wirtemberg. & Lips. D. Luth. D. Philip. beatæ memoriæ viros, aliosque nostros præceptores summa cum reverentia summoque honore appellari & nominari, iidem testes erunt. Adolescentes vero literarum studiosos, qui tam Wirtembergæ quàm Lipsiæ ad nos veniunt, testimoniis Academiæ ornati, in fidem nostram libenter recipimus; cum quod hoc ipsum literis debeamus, tum quod à vobis veniunt, eandemque animi promptitudinem etiam in posterum nos exhibituros omnibus, spondemus. His itaque de causis summopere miramur, id literis à dignitate tua insertum esse: Prodire ex Urbe nostra nobis videntibus & patientibus libellos infamantes bonos & pios viros, te vero nominatim: quod & ignotum nobis est, & qua ratione fieri queat, non videmus, cum ita chalcographiis nostris cautum sit, ne quid ejus rei eveniat. Flacium vero quod attinet, is ignorantibus nobis multò minus promoventibus aut vocantibus, comitatus uxore & liberis huc venit; à Magistratu, cum multorum præstantissimorum virorum Testimoniis & commendationibus esset ornatus, hospitii jus est consequutus. Hoc vero impedire, nec integrum nobis erat, nec Christianos decebat. Aliquandiu autem hic commoratus cum & nostri noticiam habere desideraret, responsum est: controversias, quæ ei cum summis viris, Theologis, intercedant, nos latere; scripta ejus vel nulla vel pauca à nobis esse perlecta: non igitur posse nos, absque præcedente causæ cognitione amicitiam cum eo contrahere. Hac de causa impulsus, historicam narrationem antea actæ suæ vitæ & actionum conscripsit, eamque conventui Ecclesiarum tradidit. Cujus libri duæ erant partes, quarum prior confessionem continebat doctrinæ, quam amplecti se & profiteri testabatur; posterior ad suam spectabat personam, quam ratione, & quibus de causis hinc inde profectus, nullibi firmam sedem habuerit. Doctrinæ genus fuit ejusmodi, quod cum petrum esset ex sacratum literarum fontibus, conforme erat scriptis D. Lutheri, Confessioni Augustanæ, articulis Schmalcaldicis: à consensu vero Ecclesiarum nostrarum non discrepabat. In doctrina igitur quod reprehenderemus, non erat. Diffidia vero ac dissensiones ejus cum Doctoribus Academiæ Wirtembergensis, aliisque hominibus, cum

& ignotæ essent nobis, & adversariæ partis defensio nondum audita, de iis, inquam, iudicium ferre, nostri non erat officii. Quamobrem in hanc sententiam à nostris responsum accepit: Confessionem quod attinet, si hanc agnoscat, ab eaque nihil diversum docuerit, vel literarum monumentis tradiderit, non habere nos quod in ea desideremus. Cum vero plura sint in eadem historia ab eo commemorata, quæ personarum sunt propria, de quibus certi nobis nihil constat, an perinde ut ab eo asseverata, an vero secus se habeant, cognitionem causæ, in legitimam contentionem rejecimus, quo iis, qui ab ipso insimulantur, purgandi sese locus, detur. Nullum tamen periculum à nobis illi metuendum esse polliciti sumus, cum hospitium ei à Magistratu esse concessum, ut Christianos decet, non invidemus. Constitutum autem jam tum erat nobis, Wittebergam Historicam ejus narrationem transmittere: eorumque de hac controversia sententiam cognoscere: Verum prævenit nos Generosi Baronis à Schomburg filii, qui nobiscum studiorum gratia versabatur, Præceptor, M. Zacharias Starck, qui eam à se Dresdam versus missam esse, est confessus, & spem nobis fecit certam, subsequituram copiosorem explicationem. Ex eo autem tempore literarum ab illis nihil accepimus, præterquam tuam ad nos datam Epistolam. In qua cum de talibus rebus accusari Illyricum videamus, quæ nos plane latent, ejus quod ad illam controversiam attinet, patrocinium suscipere nolimus: ideoque tuas illi tradidimus literas, ad quas, ut responderet, postulavimus. Quod cum scripto fecerit, illud hac inclusum epistola, tuæ Humanitati mittimus. Flacio tamen revera hoc testimonium perhibere possumus, quod ex eo tempore, dum nobiscum vivit, in T. Dignitatis personam, convitia nulla sparserit, multò minus de revocata in Ecclesiam Papistarum missa, ut appellant, eam accusarit. Suis vero cum invigilet studiis, Ecclesiæque nostræ & Academiae minimè sit molestus, nemini ex nostris singulari amicitiae vinculo obstrictus tenetur. Quo magis insolentiam miramur eorum, qui cum eum, quod nostrorum nonnullorum amicitiam, insinuando sese blandiloquentia, capter, tum nostros, quod favore suo eum tueantur, & armis adversus veritatem instruant, apud vos traducunt: cum hoc ei crimen & falso objiciatur, & in nostros, quos vos maximè haberis suspectos, perfidiosè detorqueatur. Imprimis verò, cum tale quicquam ab eo ne quidem petatum sit, nos autem hujus jam pridem sententiæ fuerimus, ob controversias, quæ ad personam illius spectant, nemini litem intendere, multò minus eos, quibus familiaritate conjuncti fuimus, vel verbis, vel editis in lucem scriptis, calumniis proscindere. Eum vero hominem, qui ejusdem nobiscum quantum ad doctrinam sanam est Confessionis, qui post habitis negotiis Ecclesiæ & Academiae nostræ, solus cum suis, incumbens bonis artibus, versari in u. be nostra, summis precibus, clariss. virorum intercessione, à senatu impe-

impe-

impetravit, ob diffidia ignota nobis, civitate excludere, hospitio, quod ei à Magistratu concessum est, expellere, & humanitati esset contrarium, & nostro, quod concessum est nobis in Ecclesia, ministerio adversarium: cum præsertim rationem se redditurum esse, cum vitæ, tum ætionum, omnibus (coram Judice tamen eo, qui affectibus & præjudiciis gravatus non sit) deferat. Atque hæc sunt, vir præstantiss. quæ Human. T. respondenda esse duximus: rogantes, ut si quid liberius à nobis scriptum sit, non in deteriores partes accipias: Confensum enim in doctrina vera, quæ Christi est, una vobiscum tueri, & optamus & quantum in nobis est, conabimur; Vobisque omnia Humanitatis benevolentiaque officia deferimus. clo Io LX.

## II.

*Exemplum literarum D. Heshusii.*

AD Illyrici controversiam quod attinet, quia meam sententiam requiris, ingenuè & simpliciter adfirmo, eum in errore versari. Adferit enim peccatum originis esse substantiam, hoc est, quiddam sua natura subsistens: & eò prolabitur, ut non vereatur adfirmare, Sathanam esse creatorem illarum animarum, quæ sunt peccatum originis: quo errore Manicheismum ab inferis reducit.

De corruptione hominis constat inter nos: fateor & credo, corpus & animam cum omnibus viribus destructa, & quoad spiritualia infecta esse peccato. Et quæ mea sit confessio de malo originis, liquido patet, ex libro meo de servo arbitrio. Sed inter hominis vicium, & hominem corruptum discrimen est. Peccatum enim à Sathana est: hominis substantia à DEO. Homo reparatur per Christum: salvatur: conversus vivet in æternum. Peccatum in æternum displicet DEO, & abjicitur. Omnem finitam substantiam à filio conditam esse, nulla Sophistica everti potest. Est enim Apostoli oraculum, peccatum ergo quod à filio non est, substantia esse non potest. Rimas hic quærit Illyricus: sed frustra: nihil præter Sophismata adfert contra hoc solidum argumentum. Et quæ dementia est, Sathanam ponere creatorem substantiarum quarundam. Id verò facit Illyricus in recenti libro *ἡθελὸν ἰσχυρὸν*, fac. 205. Et fraude non caret, quod posuit, (sequeretur) cum series argumentationis cordato monstrat consequentiam.

Aliud fuit, quod Lutherus p. m. urfit: nimirum non tantum accidentia, sed etiam totam hominis substantiam corruptam & emortuam peccato esse.

Idem & ego constanter adfirmo. Illyricus longius progreditur, & novum dogma fabricat: videlicet ipsam corruptionem & vicium novam esse substantiam, & quidem à sathana conditam, quod falsissimum est.